

In ista arte duo sunt libri, quos ponam in capitula per ordinem.

CAPITVLA LIBRI primi.

<i>De modo generationis metallorum,</i>	Cap. I
<i>Quòd argentum viuum est medicina metallorum,</i>	II
<i>Quòd sulphur extraneum, siue vulgi est causa imperfectio- nis,</i>	III
<i>Quòd solùm argentum viuum est perfectio metallorum,</i>	IIII
<i>Quòd argentum viuum continet in se sulphur suum,</i>	V
<i>Quòd vnus est lapis Philosophorum,</i>	VI
<i>Ex quibus extrahatur lapis Philosophorum,</i>	VII
<i>Quòd difficile est opus nostrum in prima metallorum mate- ria,</i>	VIII
<i>Quid sit opus primum Philosophicum,</i>	IX
<i>Quid sit lapis, & quo indiget.</i>	X

De modo generationis metallorum.

CAP. I.

Vtrum natura omnia liquabilia sint naturaliter ex argento viuo, & sulphuris substantia: eò quòd proprium est argento viuo quod coaguletur, ex calore siue vapore sulphuris: quoniam omne siccum naturaliter exhibet suū humidum. Vapore ergo sulphuris argenti viui coagulatum est ex sua substantia terrea, subtili, aërea & digesta, admistione prima sibi vnita admistione caloris: postea eleuata, decocta & digesta, donec habeat vim sulphureā coagulandi argētum. Argentum verò viuum in prima sua radice est cōpositum ex terra alba, nimium subtili, sulphurea, cum aqua clara fortiter admista, donec fiat substantia vna, non quiescens in superficie plana. Et enim homogeneū in natura: quoniā aut remanet totum in igne fixum, aut totū ex eo volat in fumū, cum sit incombustibile & aëreum. Et hoc est signū perfectionis: & ideo cum postea in terra sulphurea decurrit calefactū, superius ascendit: quoniā de sua natura est, vt per calorē sublimetur: veruntamen cōtinua sublimatione nimium depuratur decoquitur, & inspissatur, ac in sulphur album & rubeū gradatim congelatur.